



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis

**Asseburg, Wilhelm Anton von der
Paderbornae, 1764**

XXVII. S. Juliani Ep. Cenoman. & Conf. Dupl.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62764)

gnum coelorum decem virginibus,
ut in communi. Missa. Loquebar.

Die XXII, Januarii.

SS. VINCENTII & ANASTASII
 MARTYRUM.

*In Dioces. Paderb. Duplex reliqua ut in Breviario
 Romano.*

Die XXVII, Januarii.

S. JULIANI EPISC. CENOM.
 CONFESSORIS.

Duplex Dioces.

*Omnia de communi Conf. Pontificis
 prater sequentia.*

Oratio.

DEus, qui Ecclesiae tuae Beatum
 Julianum mirabilem tribuisti
 Doctorem; concede propitius: ut
 hunc apud te pium mereamur sem-
 per habere intercessorem. Per Do-
 minum nostrum.

Lectioes I, Nocturni, de Scriptura.

IN II, NOCTURNO.

Lectio IV,

Beatulus Julianus primus fuit Ceno-
 manensium Episcopus, quem
 cives

cives maximo semper in honore habuerunt, eumque tamquam Apostolum venerati sunt. Is a sancto Petro Apostolo disseminandæ Christianæ religionis gratiâ in Gallias missus, Cenomannum venit: ubi apertum propagandæ religionis campum nactus, plurimos ad Christum convertit, quos & multis miraculis in fide susceptâ confirmavit. Quorum primum & memorabile illud extitit, quòd, cùm cives aquæ penuriâ laborantes videret, cuspidem baculi, quem manu gestabat, humi defigens, fuis ad Deum precibus, impetravit, ut inde fons vivus scaturiret. Cujus usus continuus perseverans, & divinitatis potentiam, & beati Juliani meritum cunctis demonstrat. *Ry. Inveni David &c.*

Lectio V.

Erat tunc temporis Princeps, sive Dux civitatis Defensor dictus,

qui auditis, quanta per beatum Julianum Deus operabatur: eum ad se accersivit. Accedens Pontifex, ante aulae Principis atrium, obvium habuit cæcum, quem, auxilium efflagitantem, invocato Christi nomine, & crucis impresso signo, perfectæ sanitati restituit. Eâ re commotus Princeps, genibus Sancti advolvitur, & cum totâ suâ familiâ, & multâ nobilium turbâ baptizatur: domumque suam beato Juliano in ecclesiam consecrandam tradidit. Ducis exemplum secuti ferè omnes baptismi lavacro regenerati sunt.

R. Posui adjutorium &c.

Lectio VI.

Mirum, quantâ animi alacritate tota provincia prædicatione Juliani, & miraculis ab eo factis commota, collum jugo Christi submiserit: ita ut ad miraculum suscitati cujusdam pueri, viginti millia

homie

hominum fidem susceperint. Quàm plurimi bona sua ad Juliani pedes afferebant, alii prædia sua Ecclesiæ donabant, alii domos suas in oratoria, & templa consecrari rogabant. Vix ullus ad eum accessit, qui, quod peteret, Juliani precibus à Deo non sit consecutus. Tandem, postquam sanctus Antistes provinciam omnem fidei lumine illustrasset, à dæmone obsessos liberasset, ægros sanitati restituisset, vinctos in carcere exire liberos fecisset, multa idolorum templa funditùs evertisset, plenus dierum, gloriosus meritis migravit in cœlum, functus munere Episcopali & Apostolico annis quadraginta septem, sepultusque est magno cum honore in Basilicâ, cujus ipse fundamenta jecerat, in cœmeterio Christianorum dicto.

Rx. Iste est qui ante Deum &c.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium, Homo peregrè proficiscens, de communi.

Missæ: Statuit. de com. Conf. Pont. Vesp. de seq. com. præc. & S. Agnetis 2dò.

Die XXVIII. Januarii.

S. CAROLI MAGNI CONF.

Duplex Majus Diœces.

Omnia de communi Conf. non Pont. præter Sequentia.

Oratio.

Deus, qui Beatum Carolum Confessorem tuum de terreno regno ad cœlestis regni gloriam transtulisti: ejus quæsumus meritis & intercessione Regis Regum JESU CHRISTI Filii tui facias nos esse consortes. Per eundem Dominum.

Lectioes 1. Nocturni: Beatus vir. de com. Conf.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Carolus Rex, ex illustri Franco-
rum